germanorum uidelicet gente erat. Tertiam uero
de concubina quadam defuncta Fastrada.
Liutgardam alamannam duxit de qua
nichil liberorum tulit. Post cuius mortem tres
habuit concubinas. Gersuindam saxonici
generis. de qua filia nomine Adeldrut
nata est. et Reginam que ei Drogonem et
Hugonem genuit. et Alindem ex qua Theode
ricum procreauit. Mater quoque eius Bertrada
in magno apud eum honore consenuit. Cole
bat enim eam cum summa reuerentia. Liberos
suos ita censuit instituendos. ut tam
filii quam filie primo liberalibus studiis quibus
et ipse operam dabat erudirentur. Tum
filios cum primum etas patiebatur more fran
corum equitare armis ac uenatibus exerceri
fecit. filias uero lanificio assuescere. coloque
ac fuso ne per ocium torperent. operam im
pendere. atque ad omnem honestatem erudiri
iussit. Filiorum ac filiarum tantum in edu
cando curam habebat. ut numquam domi
positus sine illis cenaret. numquam iter
sine illis faceret. Amabat peregrinos atque in
eis suscipiendis magnam habuit curam.
Corpore fuit amplo atque robusto statura
eminenti. que tamen iustam non excederet. nam
septem suorum pedum proceritatem eius constat
habuisse mensuram. Exercebatur assidue equi
tando ac uenando delectabatur. et uapo
ribus aquarum naturaliter calentium. frequenti
autem natatu corpus exercebat. cuius adeo
peritus fuit. ut nullus ei iuste ualeret
ante ferri. Utebatur ad corpus camisea
linea et feminalibus lineis induebatur.
deinde tunica que limbo serico ambie
batur. tibialia cum fasciolis crura
et pedes calciamentis constringebat. et ex
pellibus thonice confecto humeros ac
pectus hieme muniebat sago ueneto
amictus. et gladio semper accinctus. cuius
capulus ac balteus aut aureus aut
argenteus erat. Aliquotiens et gemmato
ense utebatur. quod tamen non nisi in precipuis festi
uitatibus uel si quando exterarum gentium
legati uenissent. In cibo et potu tem
perans erat. sed in potu temperantior erat.
Cibo enim non adeo abstinere poterat.
ut sepe quereretur noxia corpori suo esse
ieiunia. Anno uero regni eius XLVI.
mense ianuario accepit donum imprem
febris post balneum. Cumque per singulos
dies languor ingruesceret. nichil co
medens neque bibens. nisi modicum aque
ad recreationem corporis VII. die postquam
laborare cepit iussit familiarissimum
pontificem suum Hiltebaldum uenire ad
se. ut ei sacramenta dominici corporis et
sanguinis tribueret. ut exitum suum
confirmaret. Quo facto laborauit in
infirmitate diem illum et noctem sequen
tem. In crastinum uero luce adueniente
sciens quid facturus erat. extensa ma
nu dextra uirtute qua potuit signum
sancte crucis fronti imprimens. et super
pectus et omne corpus consignauit.
Nouissime autem colligens pedes suos
extendens brachia et manus supra
corpus clausit oculos psallens hunc
uersum leniter. In manus tuas commen
dabo spiritum meum. Statim post hec in

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/hs483-13/0002
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg